



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.  
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,  
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

**Berti, Giovanni Lorenzo**

**Monachii [u.a.], 1749**

Caput V. In quo rationalis Creaturæ actu constituenda sit æterna felicitas,  
quæ est merces, ac præmium virtutis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

finem, aut saltem conformentur communi, & incommutabili regulæ rectitudinis. Septima ergo propositio ab Alexandro VIII. proscripta furculus est Bajani articuli 38. ut animadvertit etiam Dominicus Viva in Trutina damnatarum thesium Volumine III. pag. 98. & merito damnata est, quoniam multa opera deliberata recte fiunt absque charitate *habituali*, & sine gratia Spiritus sancti inhabitantis; multa etiam spectato officio, & secundum operis substantiam recta sunt, neque à noxia cupiditate proficiuntur, et si virtutis laudem ex alio capite minime promereantur, ut explicatum est præcedenti volumine pag. 390. & 415. ex quo nempe recto ordine relationis sint destituta. At propositio IX. non tantum ob hanc rationem proscripta est, verum etiam quia adstruere videtur peccatum philosophicum, eadem Alex. VIII. constitutione

damnatum, de quo proximo cap. 9. quamquam etiam in hoc falsa est, quod supponit detestationem peccati ob ejus turpitudinem non exoriri ex amore honestatis, quem rectum esse, & ad virtutem constituendam idoneum non denego, servatis tamen iis, quæ de virtutis norma disserui eodem volumine pag. 393. & p. 401. Ita qui intuitu celestis beatitudinis operatur, tenet amoris ordinem, quoniam æternam vitam diligere directum est: neque admittitur à nobis necessarius illè amor purus, quem nonnulli adstruere conati sunt, proximo libro refutandi. Ceteræ propositiones merito fuerunt damnatæ, cum rejiciant apertissime doctrinam Catholicam, quod etiam sine charitate permaneant *habitus* fidei, aliarumque virtutum, & harum actus ex se labefactos vitio pronuntiant; cum recti sint juxta doctrinam alibi expositam.

## CAPUT V.

In quo rationalis Creaturæ actu constituenda sit æterna felicitas, quæ est merces, ac præmium virtutis.

### SUMMARIUM.

1. Non datur vera in hac temporali vita Beatitudo.
2. Sanitas, pulchritudo, & voluptas non constituunt beatitudinem.
3. Nec divitiæ, fama, nobilitas.

4. Nec in virtute, & sapientia.
5. Variæ aliæ opiniones circa Beatitudinem.
6. 7. 8. & 9. Propositio I. Probatur variè.
10. Propositio 2. Probatur.
11. & 12. Solutio objectionum.

**I**NDUBITATUM est virtutis, de qua capite præcedenti disserui, condignam mercedem esse perfrui summo, & incommutabili bono. Explosa est enim, atque à fidelium mente prorsus eliminata qualibet opinio antiquorum hominis felicitatem in aliqua fluxi boni participatione constituentium. De quo errore, cum satis multa differant Philosophi in ea parte, quam Ethicæ vocant, perpaucam subijciam loco prænotationis ad propositam disquisitionem.

Nullus itaque ratione præditus statuet veram in hac temporali vita beatitudinem. Enimvero quemadmodum ratiocinatur magnus Augustinus in XIV. de Civ. Dei cap. 25. in facultate hominis positum minime est vivere quamdiu, & quomodo ipsi libuerit; nam anni nostri sicut aranea meditabuntur: vix erit, qui integra valetudine attingat annum septuagesimum; & si numerentur in robustioribus anni octoginta, amplius eorum labor, & dolor. Legito Psalmum Davidis LXXXIX. 10. Aut ergo qui moritur vult vivere, & moriendo nequit

habere quod vellet; aut mavult mori, ut melius vivat post mortem, & hac vita tanquam meliori bono non fruitur. Nunc vero (inquit S. Pater) quis hominum potest ut vult vivere, quando ipsum vivere non est in potestate? Vivere enim vult, mori cogitur. Quomodo ergo vivit, ut vult, qui non vivit quamdiu vult? Quod si mori voluerit, quomodo potest, ut vult vivere, qui non vult vivere, et si ideo mori velit, non quo nolit vivere, sed ut post mortem melius possit vivere?

Facile pariter demonstrare possumus non consistere beatitudinem in bonis corporis, quæ tria recenferi solent, sanitas, pulchritudo, & voluptas. Enimvero hæc, quomodo bona reliqua mutabilia, possunt amitti; ideoque necessum est, ut cum timore possideantur: Qui timet (ait S. Doctor lib. de Beata Vita. num XI.) videtur tibi beatus esse? Non videtur. Ergo quod amat quisque, si amittere potest, potestne non timere? Non potest. Amitti autem possunt illa fortuita. Non igitur hæc qui amat, & possidet, potest ullo

2. Sanitas, pulchritudo, & voluptas non constituunt beatitudinem.

1. Non datur vera in hac temporali vita beatitudo.

ullo modo beatus eſſe. Accedit eum qui beatus eſt, meliorem utique eſſe, quam dum eſt miſer; fieri autem non poteſt, ut res deterior, cujuſmodi ſunt bona corporis, rationalem mentem reddere poſſint meliorem. Turpe præterea eſt felicitatem hominis collocare in corporis ſanitate paucis annis, nobiſque invitiſ, dilabeſcente: & in qua, ſive ſenſuum acumen ſpectes, ſive membrorum valetudinem, ſæpenumero hominem bruta ſuperant animalia. Hæc valent de vultus decore, & formæ venuſtate; ac multo magis de voluptaria vita, quibus pecoribus æquiparamur. *Membrorum certe amputatio, vel debilitas hominis expugnat incolumitatem, deformitas pulchritudinem, imbecillitas ſanitatem, vires laſſitudo, mobilitatem torpor, aut tarditas.* Ecquid horum eſt, quod nequeat in carnem ſapientis irruere? Verba ſunt Auguſtini cap. 4. libri xviii. de Civitate Dei.

Idem dicendum eſt de bonis externis, quæ ſunt divitiæ, fama, nobilitas. Nam divitiarum copia, præterquam quod & ipſa amitti poteſt, & poſſidetur cum magno angore animi, & excruciante ſollicitudine, explere non poteſt inſatiabilem hominis cupiditatem. Quod ſi quis modum ſibi ſtatuat, & præſenti ſubſtantia contentus decenter perſuatur; id non rebus ipſis tribuendum eſſe, ſed moderationi animorum, præclare animadvertit S. Pater libro de Beata vita numero paulo ſupra citato. Quapropter & Seneca Epift. 45. docet, *Beatum non eum eſſe, quem vulgus appellat; ad quem pecunia magna confluit.* Comperit eſt etiam ex Romanis Hiſtoriis auro, & opibus florentiſſimam Rempublicam fuiſſe labefactatam, & nihil aliud eſſe divitiis, quam cupiditatum incitamenta. Fama autem, & honores perperam Boni nomen ſibi vindicant, quod ludibrio fortunæ ſint expoſita, ut vel unum Sejani commonſtrat exemplum; & aliena potius ſint, quam noſtra, cum Majorum falces, & ſceptra, tum aratra, & ligones.

Nec tamen cum Stoicis beatitatem in virtute, & ſapientia conſtituendam eſſe arbitramur. Primo enim Stoicorum virtutes inflatas typho ſuperbiæ nec virtutum laudes promereri liquet ex præcedenti capite quarto, & ex libris Auguſtini contra Julianum. Deinde nec ſapientia humana, licet aliorum bonorum comparatione æſtimabilis, bonum eſt perpetuum, atque jucundum. Nam ut Auguſtinus acute diſputat laudato cap. iv. lib. xviii. de Civ. Dei, quò

recedit, ſi aliquo morbo efficiamur inſani? *Phrenetici multa abſurda cum dicunt, & faciunt, plerumque à bono ſuo propoſito, & moribus aliena, imò ſuo bono propoſito moribusque contraria, ſive illa cogitemus, ſive videamus, ſi digne conſideremus, lacrymas tenere vix poſſumus, aut forte nec poſſumus.* Addit S. Pater exempla eorum, qui dæmonum patiuntur incurſus: quod malum quis confidit evenire non poſſe in hac mortali vita ſapientibus? Probat deinde quam miſer cenſendus ſit ſapiens, dum corpus corruptibile aggravat animam, & ſenſum multa cogitantem deprimit terrena habitatio, ob motus, quibus pervertitur ſenſus, ſopitur ratio, aut ſaltem habet virtus cum vitio continuum, acerbiffimumque conſictum. Quod late confirmat per omnia genera virtutum diſcurrens. Nec prætermittendum eſt, quod S. Pater probat ſerm. cli. de verbis Ap. cap. 8. omnem virtutem, ac ſapientiam nobis donari à ſummo Deo, in quem oportet vehementius homo inardescat, fontemque quærat, quo magis dulces veritatis rivulos in hac vita deguſtat. Atque ex his conſtat nullam aliam eſſe hominis beatitudinem, niſi conſecutionem ſummi, & incommutabilis boni: quæ doctrina, ut in fine ejusdem ſermonis ait præclariffimus Doctor, *Non plane conferenda, ſed incomparabiliter præferenda eſt doctrinis philoſophorum, immunditiæ Epicureorum, ſuperbiæ Stoicorum.*

His itaque prænotatis, inquirunt Theologi, in quo ſita ſit hæc ſummi boni poſſeſſio, quam dicimus veram hominis beatitatem, virtutiſque mercedem. Prætermitto autem opinionem aliquorum illam conſtituentium in actione aliqua increata, intimoque illapſu divinitatis, non quod falſa ſit undequaque, ſed quia videtur potius conſiderare beatitudinem ratione objecti, quam rationalis creaturæ ea perenniter perfruendiſ. Quare in eam ſtylum acuunt præclari Theologi Ægidius noſter Luſitanus lib. iv. de Beatit. &, ne ſingulos commemorem, Nicolaus L'Herminier Tom. v. pag. 20. & ſeq. Verum validior, qua impugnatur, eſt ratio à nobis breviffime expoſita. Thomiſtæ ergo docent conſtituendam beatitudinem in actu intellectus, Scotiſtæ in actu voluntatiſ, complures alii in utroque, quidam in gaudio, ac delectatione actus huiusmodi conſequentiſ. Sed gaudium nihil aliud eſſe puto, quam affectionem quamdam amoris: nam ſi amor in bonum, quod abeſt, feratur, dicitur deſide-

5.  
Variæ aliæ  
opiniones  
circa beatitudinem.

siderium, si in bonum, quod possimus assequi, spes; si in bonum, quo jam fruamur, gaudium, & delectatio: & ideo accedit hæc opinio postrema ad Scoti sententiam. In quam lubentius me trahi sentio, ratus nullam hinc oriri à nostratibus discrepantiam. Nam Paludanus in iv. dist. 49. q. 3. art. 2. Thomistarum sententiam propugnat, Gerardus Senensis in i. dist. i. ad Scotistas accedit, & in utroque actu consistere beatitudinem censent Romanus Ægidius Quod. iii. q. 23. Lusitanus citato libro iv. q. xii. & Argentinas in iv. Sent. dist. xlix. q. 3. Concl. iii. & iv. Ex quorum omnium placitis lubet proximas positiones conflare.

6. PROPOSITIO I. In utroque actu  
Propositio I. tam intellectus, quam voluntatis constituenda est perfectio Beatitudinis.

Probatur I. ex Scriptura. Debemus quippe de Beatitudine iudicium illud proferre, quod sacræ literæ, Traditio Patrum, & ratio ipsa pronuntiandum esse declarant. Sacræ autem literæ, Patres, rationisque lumen ostendunt, tam in visione summi veri, quam in amore summi boni consistere animorum perpetuam beatitudinem: in utroque igitur actu constituendam recte à nobis pronuntiaturum est. Probat minor primo quantum ad literas Divinas attinet. Aperta namque videntur loca, quæ ad sententiæ suæ fulcimentum proferunt docti Thomistæ, eorumque signa sequentes. Ea sunt: Psal. xvi. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*: Psal. lxxix. 20. *Ostende faciem tuam, & salvi erimus*. Matth. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Joan. xvi. 1. 3. *Hæc est autem vita æterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Et Epist. i. cap. iii. 2. *Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus*. Sed non minus perspicua sunt, quæ pro sententia Scotistarum in medium adducuntur; cuius generis sunt ista: Pl. xxxv. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Matth. xxv. 21. *Intra in gaudium Domini tui*. Joan. xvi. 22. *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. Ep. ad Rom. xiv. 17. *Non est enim regnum Dei esca, & potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto*.

7. Præterea stant pro sententia Thomistica Patrum testimonia; ait enim Ambrosius lib. iv. de Officiis cap. 2. *Scriptura Divina vitam æternam in cognitione posuit divinitatis*. Chrysostomus Hom. 81. in Joannem: *Omnis requies*

*est filium Dei videre*. S. P. Augustinus lib. de Trinit. num. 28. *Ipsa visio est facie ad faciem, quæ summum premium promittitur iustis*. Lib. de Spir. & lit. cap. xxxi. 11. *Illà cognitione, illà visione, illà contemplatione satiabitur in bonis animæ desiderium*. Sed stant pro sententia Scoti loca pariter exquisita. Nam S. Pater lib. x. Confess. cap. 22. ait: *Et ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te: ipsa est, & non est altera*. Et cap. proximo: *Beata quippe vita est gaudium de veritate*. In i. de Doctrina Christ. cap. 29. *Deo perficere beate vivere est*; & xiv. de Civit. Dei cap. 25. *Beata quippe vita si non amatur, non habetur: porro si amatur, & habetur*. Ambrosius autem citato loco præter cognitionem divinitatis ad beatitudinem requirit etiam fructum operationis: & potius describit duo, quæ ad æternam vitam perducunt, fidem, & opera, quam vitam ipsam æternam, inferens hanc sitam esse in perfectione virtutis. Quæ sane perfectio est amor, per quem fruimur summo bono; ideoque Ambrosius etiam in amore locat beatitudinem. Et Chrysostomus hom. 46. in Matth. aperte docet voluntatem à Deo remunerari *sempiterna delectatione*.

8. Itaque cum Scripturæ, tum Patres utramque simul sententiam comprobant, Thomistarum, & Scotistarum; neque ultra verior sit, laborandum est operosa inquisitione, sed firmiter est asserendum beatitudinem utrumque complecti. Ita docent alii in locis Patres. Nam Ambrosius in libro de Jacob, & Beata vita cap. vii. num. 32. inquit: *Hoc solum in existimatione beate vitæ est requirendum, ut non in aliis, sed in possessione veri, & boni ejus definitio teneatur*. D. Bernardus Ep. 18. *Quia non possumus (inquit) contemplari per speciem, nec plene complecti per amorem, dedit nobis interim & supere per fidem, & quævere per desiderium*. Si enim adhuc absentes initiat fides, & desiderium; præsentis profecto consummat visio, & amor. S. Thomas de Villanova Concione de S. Maria Magdalena ait: *Felicitas enim, & beatitudo nostra, aut in utroque, visione scilicet, & amore Dei consistit, aut saltem utrumque ad complementum perfectæ beatitudinis necessarium est*. Hugo Victorinus laudatus ab Ægidio nostro Lusitano: *In his (ait) beatitudo consistit, cognoscere, & amare bonum; pro qua sententia Ægidius ipse laudat antiquiores Scholasticos singillatim, articulo i. citatæ Quæstionis x. i. Atque hoc idem memoratus Ægidius, alique Theologi de-*

8. Probatur 3. ex aliis.

demonſtrare nituntur ex definitione Benedicti XII. & ex Clementina, *Ad noſtrum*. Benedictus enim definiens Sanctorum animas Deum videre, eoque perenniter frui addit, *quod ex tali viſione, & fruitione ſunt vere beata*: & in Clementina ſtatuitur, *Animam indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, eoque beate perfruendum*. Quamquam nulla alia mens fuit Romanorum Antiftitum, quam priori Conſtitutione damnare errorem Millenariorum, altera autem Beguardorum. Ideoque ad dirimendam Scholaſticam de natura beatitudinis quaſtionem parum hæc videntur idoneæ.

9. **Probatur 4. ratione.** Accedunt autem ſententiæ noſtræ de prompta à ratione argumenta. Cum enim rationalis creatura prædita ſit facultate intelligendi, & volendi, & in Deo ſummi veri, ſummique boni, in quod fertur utraque illa facultas, reperiatur plenitudo; ſit autem beatitas perfectæ rationalis creaturæ ſatietas, plenæque finis ſui conſecutio; neceſſum eſt, ut aſebat Ambroſius, teneri in poſſeſſione veri, & boni beatitudinis definitionem. Deinde liberum arbitrium, ac meritum utraque rationalis animæ facultate comparatur; & conſequenter in utraque præmium meritorum videtur conſtituendum. Præterea ita conneſcuntur viſio, & amor, ut nequeant ab invicem in patria divelli, & ſi unum eſſet ſine alio, tolleretur penitus beatitudo: *Quoniam qui videt ſolum, non fruitor optimo quod videt: & qui diligit duntaxat, non quietatur, donec lucide videat, quod tam ardentem amat*; inquit S. Thomas Archiepiſcopus Valentinus laudato ſermone. Utrumque igitur per ſe ad conſtituendam beatitudinem proculdubio requiritur.

10. **Propoſitio 2.** PROPOSITIO II. Etiamſi beatitudo ex viſione, & amore Dei coaleſcat, perfectior tamen actus, quo potiſſimum Deo fruimur, eſt amor.

**Probatur.** Hæc propoſitio facile demonſtratur ex dictis, novæque ſtabilitur argumentationum acceſſione. Principio enim diximus cum Auguſtino beatam vitam eſſe perfrui Deo, id non haberi niſi amando, bonum incommutabile illud eſſe, quod unice poteſt deſiderium humanæ mentis explere. Quis autem ignorat perfrui, amare, & bono adhærere, animi diligentis opus eſſe? Deinde cognitio nihil aliud eſt, quam boni notitia per ſe ad excitandum amorem ordinata; ideoque eſt aliquid ad fruitionem præcedens, quoniam voluntas nequit diligere incognita, & conditio po-

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

tius prævia, & ſummum bonum proponens, quam ipſius boni poſſeſſio. Ad hæc: cum in via extet fides, & charitas, etſi fides neceſſaria ſit ad vitam ſpiritualem animarum, quoniam juſtus ex fide vivit, non eſt tamen ipſa vita, & ſanctitas animæ, ſed in amore hæc potiſſimum ſita eſt, & per dilectionem Deus in nobis habitat, ut Divina teſtantur eloquia. Ita ergo in Patria eſt viſio ad faciẽ, & conſummatus, ut vocant, amor, & licet viſio ad vitam ſempiternam prærequiratur, conſtituit hanc vitam ille amor, & charitas. Exprefſe inſuper traditur hæc ſententia à D. Patre Auguſtino in 1. de libero arbitrio cap. XIII, ubi ait: *Atqui hoc ipſum gaudium, quod huius boni adeptione gignitur, cum tranquille, quiete, atque conſtanter erigit animum, beata vita dicitur, niſi tu putes aliud eſſe beate vivere, quam veris bonis, certisque gaudere*. Mitto loca ſuperius pro ſententia Scoti producta. Poſtremo falluntur Thomiſtæ dum putant viſionem eſſe actum rationalis animæ perfectiorem: nam argumenta quamplura evincunt amorem eſſe eidem viſioni præponendum. Primum autem argumentum eſt, quod in donis Dei nullum majus eſt charitate, quomodo Auguſtinus docet lib.

Argumentum Thomiſtarum.

xv. de Trinit. cap. 19. liquet ex Apoſtolo in 1. ad Corinth. cap. XIII. & demonſtratur ex præcedenti cap. ubi diximus amorem eſſe formam omnium plane virtutum. Alterum eſt, quod viſio ordinatur ad amorem, ut ſcribit Anſelmus lib. *Cur Deus homo* cap. 3. *Perverſus ordo eſt amare ad intelligendum, rectiſſimus vero intelligere ad amandum*. Proximum eſt argumentum S. Thomæ de Villanova Conc. ſuperius laudata; nam ſi de abſoluta potentia Dei viſio, & fruitio beatifica ſeparentur ab invicem, ita ut unus videat Deum, nec tamen diligat, alius autem diligat quidem, ſed non videat, cognoscat autem, quia amor non poteſt ferri in incognitum; licet neuter illorum perfecte beatus ſit, *Ego ſi mihi daretur optio* (inquit ſanctiſſimus Archiepiſcopus) *potius eligerem amare non videndo, quam videre non amando*. *Quid enim ſi videro, & non amavero? Per hoc nec Deo gratus aut amicus exiſſo*. *Eſt enim gratia charitas, aut non ſine charitate*. *Si autem amo, etiamſi non videam, Dei amicus ſum*. Affines ſunt argumentationes Scotiſtarum, atque ea præſertim palmaris & obvia: Pejus eſt odiſſe Deum, quam Deum ignorare. Ergo melius eſt diligere Deum, quam Deum videre.

S

Reſpon-

11.  
Solutioes.

Respondemus itaque argumentis Thomistarum priori propositione productis, neminem denegare, quin ex contemplatione divinitatis, atque intuitiva visione satietur rationalis animæ desiderium, & promanet gaudium perennis felicitatis, ut evincunt locupletissima testimonia sacrarum literarum, ac Patrum: sed ideo istud evenit, quod clara Dei visio totum amoris pondus attrahit in summum bonum, & istud voluntas arripit, complectitur, & perpetua fruitione comprehendit. Visio itaque beatitudinis causa efficiens est, non *formalis*; quemadmodum noticia desiderium parit, fides iustitiam, intuitus amorem. Neque alium habere sensum allatos textus, vel sola lectio commonstrat. Quid est enim, *Satiabor, cum apparuerit gloria tua, Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*, & alia id genus plura? nisi forte, Orietur ex apparitione satietas, & ex visione similitudo? Illud vero, quod Joannes ait, *Hæc est vita æterna, &c.* aut de fide in Deum & Christum accipitur, aut de contemplatione beatorum; utrumque enim sensum exhibent nobis cum verba ipsa, tum Patres. Ut ergo usurpatis his verbis de fide nihil aliud significatur, nisi quod credere divinarum Personarum Trinitatem, & Verbi Incarnationem est fides

illa vera, per quam ad æternam vitam perducimur: ita si accipiantur de beatorum animarum contemplatione, demonstrant duntaxat, quod videre Deum facie ad faciem est illa summa cognitio, unde consequitur beatitudo, amor scilicet, & gaudium perenne. Atque eadem ratione expediuntur sententiæ Patrum adminiculo, præsidioque cæterarum, quarum supra nonnullas produximus.

Si autem institerint Thomistæ contententes intellectionem esse opus rationalium præstantissimum, nos contra affirmabimus nobiliorem esse charitatem, & amorem, quamvis ex ipsa intellectione dirigatur, ut cor præstat oculis, fideique dilectio. Si denique asserant per cognitionem fieri objectum præsens, ac possideri; respondebimus fieri præsens præsentia *objectiva*, non *fruitiva*, nec possideri in ratione boni, sed in ratione veri tantummodo. Præsentia vero objectiva per se gaudium felicitatemque non affert; imo parit aliquando anxietatem, animique mororem. At gaudium, inquis, ab ipso amore distinguitur? Ab amore utentis, concedo: ab amore fruētis, nego. Sæpe enim dictum est duos amoris dari actus uti, & frui: *Nam si neque fruitur, neque utitur, non invenio quomodo diligit*, ait S. Pater in 1. de Doctrina Christiana cap. 31.

12.  
Instantia  
cum Solutio-  
nibus,

## CAPUT VI.

Quid sit peccatum, quid peccati nequitia, quid peccati macula?

### SUMMARIUM.

1. Quomodo vitium, & peccatum definiendum.
2. Definitio peccati ex perverso ordine dilectionis.
3. An nequitia & inhonestas peccati sit quid positivum.
4. Probatur consistere in positivo.
5. Probatur, nequitiam peccati consistere in privatione
6. usque ad 12. Solutio Objectionum.
13. Quid sit peccati macula.
14. Labem peccati esse privationem decoris animæ comparatione deducitur.

1.  
Quomodo  
vitium &  
peccatum  
definiendum.

**A** VIRTUTE ad vitium disputatio nostra progreditur, non quidem ad illud, quod est defectus naturæ, vel artis, cuiusmodi est deformitas corporis, vel ædificii, sed ad illud, quod est pravitas animi, & officiorum humanorum turpitudine: & quod vulgari sermone appellatur Peccatum. Vitium tamen frequentioris sermonis consuetudine, non pro solo peccati actu, sed pro peccandi habitu, veterique instituto usurpamus. Quærentibus itaque quid peccatum sit, repeto non semel explicata, extare in nobis à creatore inditam, & immutabilem regulam æquitatis, à qua voluntas humana desectendo vitiosa redditur ac perversa, dum ea facit, quæ

æquissima illa ratio condemnat, aut omittit, quæ docet esse complenda: nec non voluntatem suos actus exerere, aut imperare sive utendo, sive fruendo. Ex his puto manifestam esse definitionem vitii, & peccati. Vel enim illud describere volumus comparate ad legem communem æquitatis ac rectitudinis, vel ad ipsam voluntatis inordinate diligentis nequitiam & pravitatem. Si regulam illam, rationemque spectemus; liquet optimam esse definitionem peccati traditam ab Augustino lib. 1. de duabus Animabus cap. xi. *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod Iustitia vetat, & unde liberum est abstinere*: vel